



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 34. Legati Pontificis huic Decreto obluctati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

tere conjunctim & divisim nomine ipsius sa-  
 cri Concilii Dominis Avenionensibus, quod A. C. 1437.  
 casu quo Græci, quod absit, nollent rece-  
 dere ex terris suis juxta decretata Decre-  
 ta, & decretanda de locis & portu. Et  
 tunc dicti Ambasciatores, & Capitaneus re-  
 stituent dictis DD. Avenionensibus quindecim  
 millia pro expensis, & decem millia pro  
 custodia Civitatis Constantinopolitanæ, &  
 sex millia florenorum pro duabus grossis Ga-  
 leis Græcis deputatis, & omnem aliam pe-  
 cuniam restantem, quam receperint, & etiam  
 sacrum Concilium transfert eo casu omnem  
 actionem, & omnem obligationem, quas ha-  
 bet contra dictum Capitaneum & suos hære-  
 des, & fidejussores pro prædictis DD. Ave-  
 nionensibus.

VII. Postremo, quod de omnibus prædictis,  
 & aliis circa rem accommodatis concessis, &  
 concedendis quibuscunque fieri debeant sub bul-  
 la sacri Concilii literæ opportunæ.

§. XXXIV.

Legati Pontificis huic Decreto ob-  
 luctati.

Præsens instrumentum suffragantibus *Acta Patrit.*  
 plurimorum votis a Synodo conclu- *to. 13. Conc.*  
 sum fuit, ablegatis Oratoribus, qui illud *p. 1542.*  
 Constantinopolim deferrent. Hæc pro-  
 vincia demandata est Lubecensi, Viseensi,  
 Parmensi, ac Lausanensi Episcopis, una-

R. 4.                      nimii



Sæcul. XV.  
A.C. 1437.

nimi consensu ad hanc Legationem nominatis. Ergo hi Basilea proficiscuntur, primum Avenionem, dein Constantinopolim ituri, ubi Græcos recipere, & usque ad portum, quo appellerent, comitari deberent. Porro quamvis horum Legatorum nominationi nemo resistere auderet, & instrumentum manibus eorum consignatum potissimis congregatorum suffragiis conclusum fuisset, nihilominus hæc sententia, & agendi ratio, qua Synodus utebatur, Legatis Eugenii Papæ, scilicet Joanni Cardinali tit. S. Petri ad vincula, & Juliano Cardinali Synodi Præsidi minime probabatur; hinc ipsi sollicitantibus nequicquam Synodi Promotoribus, illa die Concilio interesse noluerunt; demumque allegatis absentiae suæ causis literas miserunt, quibus instrumento per Deputatos confecto, quantum ad electionem civitatis Avenionensis spectaret, nequaquam adstipulati se posse, Basileensibus significarunt. Interea tamen hi duo Cardinales Basileæ, Avenionis vel Sabaudia designationem approbasse videntur; nam ipsimet nomine Concilii ad Papam Eugenium in causa electionis harum trium civitatum Legati fuere deputati, nec unus eorum illas respuere audiebatur; quinimo Oratores Avenionem, qui cum dictæ urbis civibus paciscerentur, mittendos esse, suo

chiro-



chirographo probarunt. Præterea hanc Sæcul. XV. A. C. 1437.  
 electionem ratam habuisse convincuntur ex eo, quod Legationi in Græciam constitutæ, pluribusque aliis in eadem occasione actitatis suffragati essent (\*).

## §. XXXV.

(\*) Certum quidem est, hoc decretum a duplo majori parte fuisse conditum, sed nec inde gloriandi materia nascitur; nam eorum pars nec dignior nec fanior erat, quippe, ut inquit Nat. Alexander Dissert. VIII. n. 57. *ex secundi Ordinis Sacerdotibus fere conflata, id est teste Spondano, a tali factione, quæ multitudine & numero se tuebatur, quod advocatis ex vicinis oppidis & civitatibus Sacerdotibus, iisque, qui in familiari obsequio Patrum erant, rogatis in Ecclesiam admissis, superabundaret.* Ex adverso alterum decretum a *Sedis Apostolicæ Legatis, Concilii Præsidentibus, & plerisque Præsulibus illis adhærentibus editum est, teste eodem Alexandro l. c. Præsumptus iste Cardinalium S. Petri & S. Sabinæ consensus in civitatem Avenionensem gratis fingitur: nunquam enim eisdem hanc inconstantiam crimini datam legimus, nullibi eos consensisse, bene tamen constanter reclamasse deprehendimus, ac propterea Eugenius illos in Brevi: *Ex literis, ac alibi pluribus commendavit. Demus autem eos olim consensisse, certe prudentum Virorum erat mutare consilium. Satis manifeste enim intellexerant, factiosos Basileenses**